

cato, quod commisissent, sed ab eo, quod possent committere, iuxta illud (Apo. 12): *Ipsi viderunt eum propter sanguinem Agni, qui, ut dicitur in eadem Apocalypsi cap. 13, occisus est ab origine mundi*. Ecce, angelus, etiam captivus non fuerint, nihilominus Christi sanguine redemptos vocat d. Bernardus: cur non ergo Virginem dicemus redemptam, etiamsi peccatum non contraxerit? redimere enim non praesupponit captivitatem, iuxta illud Pauli (Ephes. 5): *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Certum quidem est, tempus praeteritum semel amissum redimi, aut reparari non posse. Quare redimere tempus iuxta Paulum nihil aliud est, quam cavere, ne tempus amittatur: ita ergo redimere Virginem non est eam a peccato, vel servitute, in qua esset constituta, liberare, sed tantum cavere, ne in talem servitutem deveniret: et dixit regius Vates (Psal. 43): *Qui redemisti David servum tuum de gladio magno; tibi enim est punctus in hebraeo: Ecce David fateatur se redemptum, et liberatum a gladio gigantis, vel Saulis, non in quem incidisset, sed in quem incidere, nisi a Deo liberaretur, et praeservaretur: et ait David (Psal. 85): *Ervisit animam meam ex inferno inferiori, non quidem in quem venerat, sed in quem veniret, nisi a Deo specialiter custodiretur*. Pari ergo ratione licebit philosophari in praesenti, Virginem vere redemptam fuisse, non a captivitate, in quam incurrisset, sed ab ea, quam incurreret, si per merita divina gratiae non praeservaretur. D. item Dionysius (cap. 2 de Ecclesiast. hierarchia) ait: *Angeli purgantur ab ignominia, ubi Lincolnensis ait: Illis primis substantiis divina scientia est velut purgans non a sorte, quae inficit, quae apud nos dicitur vera purgatio, sed, ne insit, obstant; quod genus purgationis est secundum veritatem optimum*. Ad idem facit illud Malachiae cap. 3, ubi loquens de glorificatione sanctorum ait: *Purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum: et Lucae cap. 2: Impletum est tempus purgationis Mariae: et tamen sancti in gloria, et beata Virgo, quae susceptione seminis non conceperat, omni macula purganda carebant*. Exodi etiam (c. 13) habetur: *Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes. Cumque interrogaverit te filius tuus curas, dicens, quid est hoc? respondes ei: In manu forti educavit nos Dominus de terra Aegypti, de domo servitutis: ecce quilibet post mille annos ab egressu Aegypti debet beneficii se esse redemptum, vel e ductum de domo servitutis aegyptiacae, non quia ibi umquam fuisset, sed quia, nisi redemptus fuerat tempore patrum suorum, ipse fuisset subiectus servituti: notanda sunt illa verba (Proverb. c. 23): *Tu virga percussit eum, et animam eius de inferno liberabis*. Alia etiam pene infinita loca sunt in sacra Scriptura, ex quibus aperte constat, quod redemptio extendit se ad praeservationem. Deinde urgenti ratione idem ostendo. Nam Magister (in 3. dist. 19) ait, Christum Dominum redemisse mundum a morte aeterna: constat autem nullum redimi hoc modo, nisi praeservatum illum, non vero eructum eum a morte aeterna, in quam acta incurrisset: si enim necessarium esset incurrisse in peccatum, a qua quis**

redimitur, et liberatur, nullus fidelium possit dici a poena aeterna redemptus per Christum: item d. Paulus (ad Galatas cap. 3) ait: *Christus redemit nos de maledicto legis; sed constat, nos nunquam fuisse sub maledictione legis, hoc est, sub gravi illo onere, et servitute veteris legis, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus, ut dixit d. Petrus (Act. 15); et nihilominus dicimur a d. Paulo redempti, et liberati ab illo: ergo non est necessarium actualiter iacuisse sub servitute, et captivitate, ad salvandam veram rationem redemptionis*. Modus etiam loquendi Ecclesiae idem confirmat: nam saepe illa postulat liberari a peccatis, a poenis inferni, a porta inferi; et tamen non supponit haec mala futura esse, et quod postea velit ab eis liberari, sed postulat, ne eveniant, et id vocat, ab eis liberari. Ac tandem universaliter verissimum est propriam redemptionem, et liberationem esse, quando quis liberatur a malo imminenti, in quod necessario incidere, nisi praeveneretur: et hinc est, quod bene fortunatus dicitur, qui a quodam malo imminenti liberatur; sicut e contra infelix, qui a bono aliquo iam iam obtinendo adversa fortuna fraudatur. Nemo igitur negabit, eum, qui liberatur a malo aliquo imminenti, antequam in illud incidat, non solum vere liberari, sed et multo perfectius, quam si in illud incidisset. Fateamur ergo necesse est, Deiparam Virginem non solum redemptam a Christo Domino, sed excellentiorem redemptionis modum obtinuisse, quam reliqui omnes, cum ab eo praeservata fuerit ab omni macula mali peccati originalis, quam actualis. Unde melius, quam David dicere potuit illud (Ps. 58): *Deus susceptor meus es: Deus meus, misericordia eius praecedent me*. Hinc rei veritate compulsi Durandus et Caietanus, licet contrariam sententiam amplexati sint, huic tamen veritati subscribere: ille enim (in 3. dist. 3. quaest. 1) ait: *Puto, quod si beata Virgo peccatum originale non contraxisset, posset tamen vere dici redempta a Deo, pro eo quod in radice sua ex natura suae conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, nisi fuisset a Deo praeservata*. Caietanus vero (3. par. quaest. 23. art. 2): *Si tenetur, inquit, beatam Virginem non ex vi conceptionis, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis animae praeservatam fuisse ab originali peccato, quod tunc incurrisset, nisi illa gratia adfuisset, nihil contra fidem tenebit; sed specialis modus redempti, ac salvandi a peccato originali Christo attribuitur respectu suae Matris*. Haec insigne isti duo doctores, et cardinales ex familia divi Thomae.

Sed perge iam explicare, quid intersit inter Christum, et Virginem, quantum ad carentiam peccati originalis.

Certe si theologico, et scholastico more loquamur, uno verbo explicare possumus discrimen inter carentiam peccati originalis in Christo, et in Virgine: in illo enim carentia habebat rationem purae negationis, quia non erat subiectum capax peccati, cum per naturam, in quantum Deus, et per gratiam unionis hypostaticae, in quantum homo, esset impeccabilis; carentia vero peccati originalis in

HOMILIA XVIII.

Permultis moralibus rationibus concionatorio muneri aptissimis illibatam Deiparae Mariae conceptionem non parum stabilimus.

§ I.

EX MORALIBUS RATIONIBUS

Cum d. Augustinus (in serm. de Assumptione Virginis) affirmet, quod ubi Scriptura dicitur non virgine a illa commemorat, inquirendum est, quod conveniat rationi; *falsae ipsa ratio auctoritas, sine qua nec est, nec valet auctoritas: cumque lib. 3. de libero arbitrio dicit: Quidquid tibi vera ratione faciendum occurrerit, scias, Deum fecisse bonorum omnium conditorem; operae pretium duxi varias cogere rationes, ab ipso solo rationis lumine petitis, ut inde facile concitiamus, Conditorum ipsius rationes talem, ac tam immaculatam condidisse Matrem suam, qualem ratio ipsa postulat, qualemque tantum Filium decebat: ea enim, quae veniunt ex bona coniectura, vera esse dicuntur, ut docet textus (in 1. fin. de probationibus)*. In primis ergo a sufficienti partium enumeratione videtur facile persuaderi immaculatam Virginis conceptio: nam, vel Deus non potuit Matrem suam a labe peccati originalis praeservare; vel non voluit; vel tandem potuit, et voluit: at dici nequit, quod non potuerit, tum quia Job (c. 14) dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es, in tempore etiam qui, sicut angelus, et et primos parentes creavit in gratia, etiam potuisset in eadem Matrem suam creasse, et sic nunquam fuisset labe peccati infecta. Nec iuvat respondere, ipsam descendere per naturalem propagationem ex primo parente, atque adeo supposito pacto Dei, quod si Adam perserverasset in iustitia originali, omnes eius filii illam haberent; si minus, illa careret, et peccatum originale contraherent, non poterat Virgo non illud contrahere; hoc, inquam, non obstat, quia potuit Deus, praevidens, quod futura erat Mater sua, in eo puncto excipere beatam Virginem; vel si non exceperit, saltem potuit infundere gratiam in eius animam, antequam contingeret carnis infectum, vel alio modo illam praeservare: ergo tunc non contraheret peccatum originale. Non etiam potest dici, quod Deus noluit, tametsi potuit, Matrem suam praeservare a praedicto peccato; nam, si ipse dixit (Matth. cap. 5): *Non veni solvere legem, sed adimplere, et constat, legem esse naturalem, et divinum de honorandis parentibus (Ecod. 20. Dent. 5. et Matth. 25); evidens est, Christum Dominum illam observasse; quod tamen secus esset, si in originali peccato Matrem labe permitteret, a quo facile eam praeservare potuisset: hoc enim fuisset, valde illam inbonorare. Et quidem, si, prout docet textus in lege, si quis a liberis §. si impubes. ff. de lib. agno. inquis-**

simum est, patrem, vel matrem egere, cuius filius sit in facultatibus; quis credit, opulenssimum Dominum passum fuisse Matrem suam in miseriam, et egestatem peccati originalis venire? Restat ergo dicamus, et potuisse, et voluisse illam ab omni originali macula praeservare: ac tandem cum alienum sit a pietate debita parentibus, non liberare eos, cum aliqua necessitate gravi urgentur; cumque etiam Christus Dominus magis obligatus sit suae Genitrici, quam alii filii suis matribus, quia illi substantiam suam acceperunt ab utroque parente; Christus vero a sola Virgine, Spiritu sancto operante, absque humano patre; quis credit, Christum Dominum non occurrere Matri suae, quando urgebat periculum incurrendi peccatum originale, cui tantum se debitorum fore praevidebat?

Secunda ratio: quia si beata Virgo originali vitio fuisset deturpata, id cederet in magnam ignominiam, et dedecus Christi Domini, prout docet d. Cyrillus contra Nestorium, et d. Hieronymus ad Eustochium, ubi ait: *Nelli dubium est de Matre Domini, quin talis deberet esse, quae non posset argui de peccato: nam sicut parentum nobilitas transit in filios (L. liberos l. 1. Assump. l. legit.); ita et contra parentum ignominia derivatur in illos: unde (Ecles. c. 3) dicitur: Ne gloriaris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria eius confusio: gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii patris sine honore: igitur si beata Virgo ignominia peccati originalis aliquando maculata fuisset, id cederet in ignominiam Christi Domini, eique daemones veraciter dicere possent: Mater tua prius fuit ancilla mea, et prius ego illam inquinavi, quam tu illam mundaes. Accedit ad haec, quia, ut docet Panormit. in cap. Cum Ecclesia sanctae Mariae de Constit., Papa non potest se subdicere iurisdictioni imperatoris, quia cederet in praerudicium summi apostolatus: ergo eadem ratione, quia cederet in ignominiam Christi Domini, si Mater eius prius fuisset subdita daemones pro peccato originali, longe id ab ea relegandum est; unde videor mihi, audire Christum Dominum dicentem illud (1. Machabeorum cap. 9): Absit istam rem facere, et non inferamus crimen gloriae nostrae.*

Tertia ratio: quia quicumque nascitur in originali peccato, vere est a Deo maledictus; sed non decebat, beatam Virginem esse sub maledictione Filii sui: nam (Exod. c. 21) et (Levit. c. 20) et (Matth. c. 7) habetur: *Qui maledixerit patri suo, et matri, morte moriatur;* cumque Dominus dederit hanc legem omnibus observandam, non decebat, ipsam maledicere Matrem suam. Nec refert respondere, quod tunc, quando concepta fuit, adhuc non erat Mater; quod ad praedictam indecentiam sufficit, quod futura esset Mater Dei: et sicut indecens esset, si calix, et corporalia, quae continere debent concepta, sed non nata, ut d. Ioannes Baptista, et Ieremias: ergo debet dari persona nec concepta, nec nata in peccato originali; sic enim dabitur utrumque extremum, et medium inter illa.

Quarta ratio: peccatum originale est omnibus filiis Adae ex sententia divini decreti quoddam debitum, quod ab ipsis pro peccato primi parentis exigitur: sed Christus Dominus dixit (Matth. 17), quod tributum non exigitur a filiis propriis, sed ab alienis: ergo multo minus exigitur a Matre propria. Igitur Christus nunquam exegit a Matre sua debitum hoc, imputando ei peccatum originale: hoc enim ad amorem Filii tantae Matri debitum pertinebat: si enim Ovidius dixit,

Felix, qui quod amat, defendere fortiter aulet;

minime dicam, Christum Dominum caruisse hanc felicitate: igitur, cum ipse tanto amore prosequutus fuerit suam Matrem, ut de illis merito dici possit illud eiusdem Ovidii:

Illi duo corporibus, mentibus unus erant;

quis sibi persuadeat, non acerrime defendisse suam dilectissimam Matrem ab omni macula originalis peccati?

Quinta ratio: nam d. Paulus (ad Romanos 9) distinguit inter vasa irae, et vasa gratiae, et misericordiae, tanquam in opposita vasa; communis autem philosophorum regula docet, quod si unum oppositorum est in natura, etiam et reliquum, maxime si excellentius sit: sed inter puras creaturas humanas sunt aliqui, qui semper, et pro omni instanti fuerunt vasa irae, ut qui perierunt in peccato originali, et cum multis actualibus: ergo inter easdem creaturas debet dari aliqua, quae nunquam, nec pro uno instanti, existerit vasa irae: praesertim quod, cum prior sit Deus ad misericordiam, certe, si ad ostensionem suae iustitiae, ut inquit d. Paulus (ad Rom. 9), permisit vasa, quae nunquam carnerunt irae; valde rationi consentaneum erat, ad ostensionem suae misericordiae, efficere aliquod vas, quod nunquam gratia, et misericordia ipsius caret. Huic rationi persimilis est alia, quam ex doctrina Aristotelis (8 physycorum, et 7. metaph.) placet desumere, ubi docet, quod inter extrema necessario debet inveniri medium, quod etiam docet Textus (in l. Imperium ff. de variis omnium Iudicium): sed inter procreatos naturali propagatione ex viro, et foemina, quidam inveniuntur concepti, et nati in peccato originali, ut communiter sunt omnes; quidam vero concepti, sed non nati, ut d. Ioannes Baptista, et Ieremias: ergo debet dari persona nec concepta, nec nata in peccato originali; sic enim dabitur utrumque extremum, et medium inter illa.

Ultimam rationem placet ostendere ex doctrina d. Augustini, qui cupiens extendere (in sermone de Assumptione), corpus Virginis putre-

dini traditum non fuisse, varias rationes congescit, quae si conceptioni eius applicentur, maiorem vim habent ad comprobandum immutabilitatem a peccato, quam a putredine: quod, ut clarius pateat, ipsa d. Augustini verba subiiciam; eaque sic urgeo, ut praesenti argumento non parum deserviant. In primis ergo sic ait praecitato loco: *Si dicimus, eam mortis vinculo teneri, resolutam in communem putredinem, vermem, et cinerem; deliberandum est, si tantae sanctitati conveniat, et tantae aulae Dei praerogative: similiter ergo in proposito deliberandum est, an contrahere peccatum originale conveniat sanctitati, et dignitati Matris Dei: nam si d. Augustinus iudicat, non deere putredinem corporis beatam Virginem; consequenter dicam non deere illam contraxisse in anima putredinem originalis peccati. Deinde ait: *Maria ergo, etsi communicat aerumnis Evae, non communicat parturiendo cum dolore: promeruit enim hoc singularis sanctitas eius, et singularis gratia, qua susceptione Dei singulariter aestimanda est digna. Non ergo immerito excipitur a quibusdam gradibus vera aestimatione, quam tanta servat gratia, et attollit dignitatis praerogativa: haec Augustinus. Ecce propter praerogativam dignitatis, quam habet beata Virgo, excipit illam d. Augustinus a malo poenae parturitionis: ergo a fortiori debemus illam excipere a malo culpae originalis, cum hoc magis repugnet praerogativae, et dignitati Matris Dei. Praeterea sic loquitur d. Augustinus: *Namquid non pertinet ad dignitatem Domini Matris suae servare honorem, qui legem solvere non venerat, sed adimplere? etenim sicut honorem matris praecipit, ita inhonoratorem damnat; qui in vita prae ceteris illam gratia conceptus sui honoravit, pium est credere, singulari salvatione, etiam et in morte, et specialiter gratia honorasse; poterat enim a putredine, et a putredine alienam facere, qui ex ea nascens, potuit cum Virgine relinquere: putredo enim, et vermis opprobrium est humanae conditionis, a quo opprobrium cum Iesus sit alienus, natura Mariae excipitur, quam de ea suscepisse probatur; caro enim Iesus est caro Mariae, et multo specialius, quam Ioseph, Iudae, ceterorumque fratrum eius, quibus dicebat: frater enim, et caro nostra est (Gen. 37): haec d. Augustinus. Ex quibus aperte constat, quod si ad maternum honorem pertinet praeservatio corporis a putrefactione; multo magis spectabit ad eundem honorem praeservatio animae a corruptione peccati originalis, cum anima pretiosior sit corpore. Item eodem loco ait: *Illud sanctissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, et dicimus naturam humanae univert, non amittens, quod erat, sed assumens, quod non erat, ut Verbum caro, hoc est, Deus homo fieret, e-sciam verbis traditum sentire non valeo, dicere pertinens: si igitur animus horret, et pertimescit, quod corpus Virginis putredine inquinetur, quanto magis horrere debet, quod originalis peccati putredine eius anima inficiatur? Item ait d. Augustinus: *In cuius potestate est, sanctorum de capite capillum non perire, est et illa, animam a corpore integram posse servare: de cuius potestate, si nullus dubitet ecclesiasticorum, quin*****

possit Mariam sine corruptione servare, cur dubitandum est, noluisse, quod periret ad tantas benignitatis gratiam, si elegit dicina voluntas? sola gratia potuit inter crepitantes vehementium ignium flammis, non solum puerorum corpora servare illaesa, verum etiam ipsa vestimenta servare intacta: ergo cur abinet in Matre propria, quod elegit in veste aliena? Inam servare in ventre caeli praeter naturalem usum, nonne potuit gratia? servatus esset Daniel ab intemperatissima fame leonum: non servanda est Maria ab incineratione tantis dotata meritis dignitatum? In Mariae integritate potuisse gratiam, quam naturam non dubitamus. Ecce non dubitat Augustinus Virgini concedere quidquid pro gratiam a Filio potuit ei donari: sed constat, potuisse illam praeservare: ergo dubitandum non est id voluisse.

§ II.

EX ALIIS SUBLILIORIBUS RATIONIBUS.

Prima ratio sit: quia cum Christus Dominus esset humani generis Redemptor perfectissimus; Dei enim perfecta sunt opera (Deut. 32), ad eundem pertinebat, ut aliquod, ut minimum, individuum naturae praeservaret a peccato originali; tum quia ille est perfectissimus Redemptor, cui non deficit praestantissimus modus redimendi, sicut et medicandi; ad praestantissimus modus est per praeservationem, ut docuit d. Augustinus (de doctrina); ergo redemit aliquod individuum, praeservando illud a peccato originali: tum etiam, quia ad perfectionem redemptionis spectat, ut in ea reducta praeservatio quorundam a peccato mortali, et de facto contingit in infantibus baptizatis, et in aliis adultis, qui rapti sunt, antequam malitia immutaret intellectum eorum, et aliorum etiam a peccatis venialibus, ut patet in eisdem infantibus, et in b. Virgine, ut docet Tridentinum (sess. 7. can. 23); et in Ioanne Bap. ut multis placet: ergo etiam congruebat in Christi redemptione elucere praeservationem a peccato originali, ut sic copiosa eius redemptio omnem modum redimendi, etiam per praeservationem comprehenderet.

Secunda ratio: quia, si qua ratione dicendum esset, b. Virginem contraxisse peccatum originale, maxime propter quasdam sacrae Scripturae locutiones generales, ut, *Omnes in Adam peccaverunt*, et alias similes, quibus denotatur, omnes posteros Adae mortem incurere, de quibus Apostolus (ad Ro. 3. et 1. Corint. c. 15. et 2. ad Corint. 5. et ad Ephes. 2) loquitur: *at constat ex Tridentino (sess. 5), Virginem non comprehendi sub definitione sua generali, qua deest, omnes concipi cum peccato originali; igitur sicut illa generalis definitio concilii patitur exceptionem, ita etiam generales illae sacrae Scripturae locutiones. Idque ita rationaliter esse dicendum, eviderent probant sacrae Scripturae loca, in quibus ponuntur universales locutiones de peccato actuali: Non est homo, qui non peccet: et: In multis offendimus omnes, et similes aliae; et tamen constat b. Virginem expectandam esse ab his regulis generalibus, cum Concilium Tridentinum (sess. 7. cano. 23) dicat, caruisse omni*

peccato veniali. Certum etiam apud catholicos esse, et sine controversia, b. Virginem natam fuisse sine peccato originali, et sine dolore peperisse, et post mortem non fuisse eius corpus incineratum; et tamen in contrarium omnium istorum esse lex communis: *Omnes nascimur filii irae* (Ephes. 2): *In dolore paries filios: Pulvis es, et in pulverem revertetur* (Gen. 3): igitur pari ratione excipi potest b. Virgo a lege communis peccati originali, non obstantibus locutionibus generalibus sacrae Scripturae; et similiter d. Thomas (2. 2. q. 173. ar. 3) concedit, quod Moyses, et Paulus, dum fuerunt in hac vita mortali, viderunt clare divinam essentiam; et tamen de opposito est lex communis in sacra Scriptura (Exodi 33): *Non viderit me homo, et vivet; et Ioan. 4. Deum nemo vidit unquam*: moveturque d. Thomas ad eam exceptionem faciendam in Moysae, et Paulo, quia sic doceratur d. Augustinus: ergo licet nobis facere similem exceptionem a peccato originali in b. Virgine, non obstantibus generalibus sacrae Scripturae locutionibus in contrarium, cum id dicant gravissimi Patres a nobis late supra relati.

Tertia ratio ex doctrina d. Thomae (3. p. q. 27. art. 4): quia ipse probat, b. Virginem non habuisse peccatum veniale, quia hoc redundaret in ignominiam Filii, et quia indecens erat, ut quae singulariter affinitatem habitura erat cum Christo, aliquid commercium haberet cum daemone: et quia aeterni Patris Sapientia, scilicet Christus, non debuit habitare in malevola anima. Sed tres rationes istae, si quam vim habent, efficacius concludunt, Virginem caruisse originali, quia originale, cum gravius peccatum sit, quam veniale, magis dedecet dignitatem Matris Dei; et consequenter maior ignominia redundaret in Filium: ergo si b. Virgo, quia futura erat Mater Christi, praeservata fuit ab omni veniali; a fortiori ab originali. Dices cum oppositum opinantibus: magis dedecere b. Virginem veniale, quam originale, quia respectu illius haberet magis de voluntario, quia esset actus proprius. Sed contra: quia illud magis dedecet Virginem, quod Deo magis deestabile est, et quod magis maculat animam, et quod ipsa Virgo, si eius electioni relinqueretur, minus eligeret: sed originale sine controversia est Deo magis deestabile, quam veniale, et magis maculat animam, et si electioni Virginis relinqueretur, magis vellet carere originali, quam veniali: ergo si non est concedendum, beatam Virginem commississe veniale, nec etiam contra, originale. Quae consequentia evidens visa est d. Augustino contra Iulianum c. 9. Deinde quia doct. Thomas (3. p. q. 27. art. 1) ait: *Rationabiliter creditur, quod ea, quae genuit Unigenitum a Patre plenam gratiae, et veritatis, prae omnibus aliis maiora dona gratiarum, et privilegia accepit*: haec ille: sed angeli, et primi parentes hoc beneficium accepertunt, ut in sua creatione gratiam obtinerent; et spiritus angelici, qui praedestinati erant, omni labe peccati semper carerent: ergo etiam b. Virgo caruit; sed de hac ratione latius infra capite sequenti. Ac tandem, nam d. Thomas (3. p. q. 27. art. 4) ait: *Quos*

Deus ad aliquid eligit, ita praeparat, et disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inventiantur idonei, iuxta illud Apostoli (2. ad Corinth. 3): Idoneos nos fecit ministros novi testamenti: cui consonat illud, quod habetur in (i. Quidam consulebat. ff. de re iudicata); ubi habetur, quod princeps assumendo aliquem ad speciale officium, visus est dispensare cum eo meliori modo, quo potuit, ut habilis sit ad illud; sed sic est, quod b. Virgo non fuisset idonea mater Christi, si fuisset concepta in originali peccato, nam si non fuisset idonea sine perpetua integritate, et puritate corporis, multo minus sine perpetua integritate et puritate mentis, cum illa sit haec inferior, et Deo minor grata, quam ista; ergo.

Quarta ratio: nam, vel ad praeservandam Virginem a peccato originali valebant Christi merita, vel non: hoc secundum, impium est: esset enim praefere adhaec peccatum Christi merito: ergo primum. At decuit maxime, ut in Matre merita haberent tale praemium, cum praesertim ipsa ex suo sanguine quasi dederit pretium redemptionis; propter quod, quamvis Christus omnium sit salus, singulari tamen modo vocat illum Virgo (Luc. 1) *salutare suum*; ad quam etiam potest accommodari illud (Isai. 61): *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, et (Abac. c. 3): Et exultabo in Deo Iesu meo*. Unde s. Bernardus (serm. 51) dicit, Christum polius pro Virgine redimenda venisse, quam omnibus aliis simul hominibus, citans glossam in id Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa; et ideo vocat Virginem primogenitam Redemptoris*.

Quinta ratio a simili: quia non propter maiorem decentiam, nec propter efficaciores rationes docent Patres de Virgine alia privilegia, quae iam certa sunt apud fideles, ut immunitas ab omni peccato actuali, corporis post mortem incorruptio, et resurrectio; cum tamen illud, de quo agimus, sit magis necessarium, ut esset idonea Mater Dei: nam si Virgini daretur optio, quid magis vellet, vel, ut nunquam a primo instanti careret gratia Dei; vel, ut corpus eius post mortem servaretur incorruptum; sine dubio illud primum esset electura. Et confirmo, quia negando Virginem hoc privilegium, enervaretur omnis ratio affirmandi alia permulta, quae passim illi tribunt sancti Patres. Dices, alia privilegia semper in illi maiori auctoritati. Sed contra. Nam tempore Hieronymi, et Augustini, assumptio b. Virginis in corpore, et anima non habebat maius fundamentum auctoritatis, quam nunc habeat haec sententia de peccato originali; et tamen Augustinus propter vim harum rationum ait, se non posse aliter sentire. Nec hic etiam deest auctoritas multo etiam maior, quam pro parte contraria, ut visum est. Dicitur secundo, in aliis privilegiis semper esse aliqua exempla, ex quibus a fortiori similia dicantur de Virgine. Sed contra: nam loquendo de puris hominibus, maior assumpta est falsa, quia nullus purus homo adultus praeter Virginem fuit immunis ab omni peccato actuali. Item: nullus statim post mortem resurrexit ad aeternam gloriam corporis, et animae. Immo,

et universaliter intellecta, falsa est illa maior nam esse creatum in gratia est donum concessum primis parentibus; ergo prudenter creditur non negatum Virgini. Dices, nullum fuisse praeservatum hoc modo a peccato ex necessitate contrahendi. Sed contra: nam quid hoc refert? solum enim ostendit Virginem indiguissimae magis hac gratia Dei, et ideo maiori misericordia fuisse praeventam, et aliquid magis concedendum esse Matri, quam servis.

Sexta ratio: nam b. Virgo electa est ab aeterno, ut esset Mater Christi, atque adeo in ordine ad hunc finem omnia, quae ad ipsam pertinebant, etiam eius parentes, et alia, quae eius conceptionem praecesserunt, mysteriose sunt praecordinata; ita ut, quae circa Virginem gesta sunt, non sint communi lege naturae, aut gratiae metienda, sed secundum extraordinarium; et supernaturalium Dei potentiam, ut ipsa Virgo significavit: *Quia fecit mihi magna, qui potens est*. Unde est illud Augustini (epist. 3. ad Volusianum): *In talibus tota ratio facti est potentia facientis*; quod etiam subindicavit angelus illis verbis: *Dominus tecum, ut ponderat d. Bonaventura in Speculo Mariae (c. 8): Nam omnia quaecumque voluit, Dominus fecit, et quia Dominus potentissimus, potentissime tecum est*. Regula ergo, et lex in ordine ad Virginem servata, decentia fuit, et congruentia respectu talis finis: ut hic potissime verum sit illud Augustini (in serm. de Assumptione): *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, id scias fecisse Deum*; sed ex natura rei, et secundum veram rationem, magis decet Matrem Dei sine originali concepti, quod nemo negabit; nam magis consentaneum est, ut futura Mater Dei nunquam fuerit Deo inimica, et ut Mater gratiae non carerit unquam gratia, et ut diabolus superatura, non fuisset prius ab ipso superata: ergo consentaneum magis fuit concepti absque labe originali. Dices, id ex obiecto convenientius videri, nisi obstat lex universalis, quae ex sacra Scriptura constat, omnes contrahere originale. Sed contra: nam hoc est, quod propositae rationes convincunt, nimirum, quod sicut b. Virgo ab aliis universalibus legibus excipitur, quia id videtur congruentius Matri Dei fuisse concessum; etiam ab hac lege excipi debet, quia magis decet dignitatem, et puritatem Matris Dei non subdi huius legi, quam aliis, propter quae omnes in pulverem revertuntur, nec post triduum resurgunt, etc. Dices, in ceteris id posse colligi ex sacra Scriptura, sine cuius auctoritate non licet propter congruentias ab universali lege aliquem excipere. Sed contra: Cum iam concedas, id esse convenientius, et ex sanctis Patribus habes, Deum semper operari id, quod est convenientius; ut quid expressa testimonia sacrae Scripturae requirunt, cum neque illa habeas ad excipiendam Virginem ab aliis universalibus, ut a corruptione corporis, a peccato actuali veniali, et similibus? si ergo haec, licet praeter communem legem sint, concedis Virgini, quia id videtur convenientius; cur id, quod multo convenientius est, negas; maxime, cum non dissimilia testimonia sacrae Scripturae ad hoc asserendum habeas? Si dicas: Ec-

clesiam tanquam certa illa admisisse, non vero istud. Cerle illa non est amplexa, nisi quia videbantur decere Virginem; hoc autem constat de se magis cum decere, cum ab illa omne genus peccati removeat: non ergo id ei est denegandum. Praeterea: nam ipsa Ecclesia iudicat, cum non esse contra sacram Scripturam: ergo, cum de se convenientius sit, et Ecclesia ad idem sentiendum indulgentius invitet; rationi consonum est, ut ei acquiescamus, ac tandem cum eadem nobis concedat, ut possimus ita sentire de Virgine; et recta ratio, et pietas postulat, ut quoad fieri possit, optimam existimationem de illa habeamus; et uniuscuiusque voluntas ita debet ad illam esse affecta, ut, si in eius esset potestate et arbitrio, illi concederet hoc privilegium, non video cur ei debeat denegari.

Ultima ratio: nam Deus non permittit malum, et culpam, nisi ut inde erant excellentius aliquid bonum, ut docent d. Dionysius (de divinis nominibus); et Augustinus (in Enchirid. c. 25. 26. 27): permittit autem in Virgine hunc lapsum, non solum non afferret magis aliquid bonum, sed etiam impediret multa ac praecelsissima bona, in praecedentibus rationibus explicata: consonum ergo est rationi, ut dicamus Deum id non permisisse. Scio, aliquos auctores contrarium opinantes dicere, Deum in matre sua permississe lapsum in peccatum originale, ut, quae humilissima futura erat, maioris humilitatis materiam haberet, et urgentius motivum magis, ac magis se demittendi, dum cogitaret se in instanti conceptionis sub diaboli servitute exitisse. Verum hoc a ratione longe alienum esse multiplex ratio mihi suadet. Prima, quia etiam peccata actualia, et maxime lethalia, sunt uberior materia, et fortius motivum propriae humilitatis, et abiectionis, quam originale; in quae tamen non est prolata permissa. Secunda, quia in Virgine poterat insignis origi humilitas absque lapsu in peccatum, ex perfecto lumine supernaturali, et ex limpidiori cognitione Dei, et propriae conditionis; quod genus humilitatis perfectius est, et ideo fuit in Christo Domino. Tertia, quia licet peccatum materiam subministrat humilitatis, tamen humilitatis perfectioni multum derogat: nam quanto cuiuspiam propter peccata commissa maiora humiliteri suppetunt motiva, tanto eius humilitas mirabilis minus esse perhibetur, ut eleganter edocuit d. Bernardus, dum ait (serm. 43. in Cant.): *In eo qui graeviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas: ut si quis innocentiam relinquit, et nihilominus humilitatem iungit, nonne sibi videtur geminum animae possidere decorem?* similia verba lego apud nostrum doct. Bonaventuram de profectu Relig. (lib. 2. c. 33) ubi inquit: *Si humiliatur, et despicit se, qui non habet unde gloriatur, sed multa, unde confundatur; licet bona sit ista humilitas, tamen non admiranda*: ut igitur perfectior esset humilitas Mariae, oportuit caruisse omni materia, et motivo peccati originali. Quarta, quia non erat necessarium ad incrementum humilitatis b. Virginem peccato originali fuisse infectam: non enim habebat re-

bellionem carnis, velut Paulus, qui ne magnitudo revelationum extolleret illum, opus habuit stimulo carnis, qui eum colaphizaret. Tandem, quia finis conceptionis Virginis fuit conceptio Christi: ergo cum in eius conceptione Deus hunc resperxit finem, non debuit in Virgine permittere labem tali finis minime consentaneam; maxime quia statim post conceptionem erat ipse emundaturus Virginem a peccati labe, ut immaculatum Dei templum esset: convenientius itaque erat, maculam non permittere, quam ab illa post casum liberare: cum ergo alteratro modo dispensandum esset in lege communi, et primum sit in se convenientius, illud certe factum fuisse prudenter credemus.

HOMILIA XIX.

Ad immaculatam Deiparae conceptionem magis stabilendam per palchra contextitur catena ex sacra Scriptura; ex testimoniis pontificum, et conciliorum; ex consensu universalis Ecclesiae; ex miraculis, et revelationibus; ex sanctis Patribus; ex gravissimis, tam vetustis, quam novis, tam mysticis, quam scholasticis doctoribus, necnon ex iure canonico, et civili.

§ I.

EX SACRA SCRIPTURA

Quamvis ex mystico sensu non possit efficax argumentum desumi ad res fidei confirmandas, eo quod non constat illum esse intentum a Spiritu sancto, ut cum d. Hieronymo (*in Math. 13*), et Augustino (*ep. 48. cont. Vincent.*) unanimi consensu docent theologo in primam partem d. Thomae (*q. 1 ar. 10 et Quod. 7. ar. 14. ad 4*); supposita tamen gravissimorum doctorum expositione, et praecipue Ecclesiae catholicae applicatione, magni ponderis est mystica intelligentia; maxime, cum de singularibus privilegiis beatae Virginis agitur, quorum permulta accepta Ecclesiae romana, quae magistra est omnium ecclesiarum, absque loco aliquo expresso sacrae Scripturae, illa docente, ut, quod non peccaverit umquam venialiter, quod corpus eius putredinem nescierit, quod in corpore, et anima assumpta fuerit in coelum; hoc supposito, verba illa (*Genes. c. 3*): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem*, quae de beata Virgine fore intelligenda docent gravissimi Ecclesiae Patres, Ambrosius (*de fuga saecul. c. 7*), Gregorius (*1. moral. c. 19. alias 38*), Augustinus (*12 Gen. ad liter. c. 39. et lib. 2. de gen. cont. Manichaeos c. 18*), Bernardus (*ser. 2. in Missus est, et serm. Signum magnum*), Beda, Eucherrius (*super gen. 3*), et alii permulti praenotarunt futuras inimicitias perpetuas inter daemones, et Virginem; numquam ergo per peccatum originale amicitias inierunt, alioquin prius daemon contrivisset caput Virginis, quam ipsa contereret caput illius: unde S. Brimus (*ser. de Nativ. Mariae*) versans

locum illum Job (*cap. 40*): *Numquid illudes ei quasi ari, aut alligabis eum ancillis tuis?* dicit Virginem esse ancillam, cui Dominus alligavit semper Leviathan; et d. Epiphanius sermone de Virginis laudibus ingeniose dixit, immaculatam Virginem significatam fuisse per invencam illam libri Numerorum, nunquam iugum expertam, quia peccati iugo nunquam subiavit. Canticorum item varia sunt loca: *Sicut liliam inter spinas, sic amica mea inter filias*: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*; quae de Ecclesia non possunt verificari, cum multi in ea sint maculati, nisi ratione principalioris membri illius, quod est beata Virgo, ut perdoctae adnotavit Iacobus Valentinus Episcopus Constantinopolitanus super psalmum quadragiesimum quintum. Simile est illud: *Una est columba mea, perfecta mea; non autem esset unica, si solum fuisset sanctificata, et non preservata, cum et alii fuerint sanctificati in utero materno. Ibidem etiam dicitur: Hortus conclusus, fons signatus*; si autem aditus ad eam daemones patuisset, non fuisset hortus undique, et semper conclusus, sed potius in conceptione aperitus, ac violatus. Ac tandem vocatur a Sponso: *Immaculata mea*; si autem maculam peccati originalis contraxisset, maculata fuisset, non immaculata. Sponsus etiam solus, qui tenebras nunquam novit, illam comparat: *electa, ut sol*: et illud Psalmi 88. *Thronus eius, sicut sol*; quod de b. Virgine intelligit S. Ioannes Damascenus. (*lib. 4. c. 15*). Ecclesia deinde catholica in die conceptionis, et alibi, saepe verba, quae secundum sensum literalem intelliguntur de aeterna Sapientia, applicat, et accommodat b. Virgini; inter quae haec quae sequuntur, illibatam conceptionem adstrunt: (*Prov. verb. 8*): *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam feceret a principio*. Si ergo ab aeterno b. Virgo fuit possessa a Deo; ergo non a daemone per peccatum originale; alioquin antiquior fuisset possessio daemones, quam Dei: aeterno autem nihil est antiquius. Et libro Sapientiae Salomonis ad (*Sapient. 7*): *Emanatio quaedam est claritatis, omnipotentis Dei sincera: et ideo nihil inquinatum in eam incurrit, et paulo inferius vocat illam: Speculum sine macula*. Ac tandem (*Ecclesiast. c. 24*) dicitur: *In me omnis gratia viae, et veritatis*; ergo gratia praeservationis a peccato originali et non defuit. Job item (*cap. 3*) agens de peccato originali, sub metaphora caliginosae noctis dicit: *Expectet lucem, scilicet Christum, et non videat, neque ortum surgentis aurorae*: per quam b. Virgo significatur; sic enim exposit hanc locum d. Thomas, applicans illum ad ortum extra uterum; sed aequè bene applicari potest ad conceptionem, quae est ortus in utero. Facit ad idem totus (*Psalmus 84*): *Benedixisti Domine terram tuam, ut tibi exponit Arnobius (super Ps. 85), et Isidorus (ad sororem Florentinam)*. Ac tandem verba illa angelica, quae ex divino precepto angelus Virgini dixit, *Ace gratia plena, habenas laxant ad ea omnia privilegia Virginis tribuenda, quae Matrem Dei decent, cum ad hanc finem, et scopum illa plenitudo ei fuerit collata: ad decem maxime, ut quae Dei Genitrix futura erat, numquam maculata, aut diaboli an-*

cilla prius exstisset: sufficienter ergo ex sacris libris christiana pietas immaculatam Virginis conceptionem elicit; maxime cum, ut supra adnotavi, ad incorruptionem corporis, et assumptionem Virginis, quam universalis consensus docet Ecclesia, nulla his clariora testimonia, quibus immaculatam comprobamus conceptionem, in sacris eloquiis reperiantur. Accedunt ad haec variae figurae, quibus Patres passim utuntur ad b. Virginis commendationem, ut Eva, quae in gratia fuit creata; Paradisus, super quem non cecidit maledictio Dei; arca Noe, quam diluvii aquae non inundaverunt; pulcher thronus Salomonis eburneus, et absque macula; arca Davidica, ad quam pestifera contagio non appropinquavit; terra sacerdotalis, quae ab omni tributo immunis erat; Sara, quam non tetigit Abimelech, et aliae permultae, quas in superioribus homiliis late explicuimus, et multiplici Patrum eruditione illustravimus.

§ II.

EX ROMANIS PONTIFICIBUS, ET CONCILIIS

Quamvis adhuc romani Pontifices, apud quos solum residet potestas definiendi ea, quae sunt inconcussa fide tenenda, non definiunt tamquam certam secundum fidem veritatem hanc immaculatam conceptionis b. Virginis (1), tamen illi vehementer favent, et in eam summo opere propendunt, sicut et nonnulla concilia, quorum verba referemus, ut id omnibus manifestius pateat. Et quidem in primis hanc sententiam tanquam probabiliorem, et ab omnibus amplectendam approbavit Alexander Quintus (*n. 3. dist. 3*) sub nomine Petri de Candia: verum tamen est, quod haec scripsit antequam esset Pontifex; asserit tamen Varro (*in eadem 3. dist. 3*): *Sanctissimus Dominus papa Alexander V. approbavit opinionem Minorum*. Referunt quidam recentiores hanc approbationem, et confirmationem fecisse in civitate Pisarum, anno 1411. Deinde tres Pontifices, Iulius II. Alexander VI. et Sixtus IV. approbarunt, et confirmarunt religionem institutam in honorem immaculatae conceptionis b. Virginis, in cuius regula c. 3. dicitur: *Animam Virginis a primo instanti creationis fuisse sanctam*; eique varias indulgentias in honorem eiusdem immaculatae conceptionis concesserunt, ut constat ex compendio Mendicanium, verbo *Communicatio*, §. 18. et *Conceptio*, §. 10. 12. et 13. At non est dicendum a Pontificibus fuisse confirmatum, et ab Ecclesia retineri religionem consecratam in honorem alicuius fidae sanctitatis: censebant ergo sancti illi Pontifices b. Virginis valde probabilem conceptionem immaculatam fuisse. Adde, singulis annis Romae in praesentia summi Pontificis, in eius capella, adstante purpureo cardinalium senatu, missam conceptionis b. Virginis solemniter decantari. Extat deinde celebris decretalis Sixti IV, ad obstruenda ora impugnantium

sanctitatem Marianae conceptionis, in qua, non solum Virginem, sed et ipsam eius conceptionem expressis verbis vocat *immaculatam*: Eius verba, etsi multa, non gravabor referre: *Grave nimis gerimus, et molestum, cum sinistra nobis de quibusdam ecclesiasticis personis refertur, sed in eorum, qui ad evangelizandum verbum Dei sunt deputati, cum facile deleri nequeant, qui multorum cordibus sic fusiis praedicando, diffusius, et damnabiliter imprimuntur errores. Sane, cum sancta romana Ecclesia de inlemeratae, semperque Virginis Mariae conceptione publice festum celebret, et speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit; nonnullos tamen accipimus praedicatoris in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates, et terras affirmare haec non erubuerunt, et quotidie praedicare non cessant, omnes illos, qui tenent, aut asserunt eandem gloriosam, et immaculatam Dei Genitricem absque originali peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse haereticos, eiusdemque immaculatae conceptionis officium celebrantes, et audientes sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter: sed, et praefatis praedicationibus non contenti, confectis super his suis assertionibus, libros in publicum ediderunt, ex quorum praedicationibus, et assertionibus huiusmodi, non levia scandala in mentibus fidelium excorta sunt, et maiora merito excoritari formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus, et perversis assertionibus, et scandalis, quae excidit in Dei Ecclesia excoritari possent, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblati petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et certa scientia huiusmodi assertiones praedicatorum eorumdem, et aliorum quorumcumque, qui affirmare praesumerent, eos, qui crederent, et tenerent eandem Dei Genitricem ab originali peccati macula in sua conceptione praeservatam fuisse, propterea alicuius haereticis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare; aut eiusdem conceptionis officium celebrantes, aut huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrrere, utpote falsos, et erroneos, et a veritate penitus alienos, editosque insuper libros praedictos id continentibus, quoad hoc auctoritate Apostolica praesentium tenore reprobamus, et damnamus, ac nulli scientia, et auctoritate praedictis, slatutimus, et ordinamus, quod praedicatores verbi Dei, et quicumque alii cuiuscumque status, gradus, et ordinis, et conditionis existant, qui de cetero ausu temerario praesumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare huiusmodi sic per nos reprobatas, et damnatas assertiones veras esse, ac dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de praesentibus scientiam habuerint, ecommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio, quam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutiois beneficium obtinere. — Haec summus Pontifex, quibus quantum immaculatae Virginis conceptioni faveat, nemo sanae mentis est, qui non videat.*

Praeterea in sexta synodo Constantinopoli-

(1) Iam superius diximus in adnotationibus, veritatem de immaculata Virginis conceptione definitam fuisse uti dogma fidei anno 1854 a Summo totius catholici Orbis Pontifice Pio IX. CARTHAGENA de B. M. V. — Vol. I.